

ne, promptitudine, evidentia & certitudine objecta intelligibilia  
apprehendendi? Quis in sola inhaerentia specierū eam tibi consti-  
tuīt præsertim cum priora illa intimius concernant Intellectum;  
& in propinquiore ipsius corruptionis parte esse videantur.  
Quorū corruptionis originalis descriptio maxime ducit.  
Quid mihi facias si dixerim, In statu integritatis, non practica-  
tantum principia futura fuisse magis plena ac perfecta; sed &  
Theoretica hæc evidentiora multo quām hodie sint? Imò si di-  
xerim eam, quæ hodie est, in primis principijs apprehendendis  
facilitatem, evidentiam, certitudinem; eam tum in plenissq; illis,  
quæ hodie obscurissima, vel plane abdita sunt, cognoscendis  
fuisse futuram? Cujus evidentiæ & facilitatis argumenta cum in  
primis hisce principijs reliqua sint, eo ipso quod de reliquo im-  
ginis divinæ in hac philosophiæ parte vulgo dicitur, expeditum  
habetur. Hujus vero argumenti quanta audacia! Adamus (in-  
quiunt) filios genuit ad imaginem suam. At Adamus retinuit  
divinæ imaginis reliquias habitualiter sibi impressas. E. In cuius  
solutione prima foret quæstio, de reliquo, cujusnam vid. illæ  
generis? Ejusdem namq; (ut ita dicam) generis fuisse, dubita-  
bit merito, cui illa, quæ de potentijs, inclinationibus, lumini in-  
nato & principijs, &c. jam dicta sunt, venerint in mentem.  
Adeoq; nec admiserit alterum illud, cum dicunt: Quale fuit  
totum talis & pars residua. Neq; concesserit facile, Totum illud,  
fuisse similare: adeoq; eandem partis cujusq; rationem, quæ To-  
tius. Metaphorice enim huc affertur totum similare; & postquam  
partes ejus excusseris omnes, non dubia tantum res tota videbi-  
tur, sed & periculi plena, ne in fidem ipsam impingas. Id ergo,  
inquam hic primo expediendum. Cui succedit alterum, Cujus-  
modi reliquæ remanerint? num illæ quæ potentias concernunt,  
& dictamen; adeoq; ex parte principij se habent? An qæ ex par-  
te objecti? Et tum, Ecquid ipsi Adamo species hujusmodi fue-  
rint in creatione insitæ? Experimentalem quippe notitiam qui  
illi negare ausit, stultus sit. Deniq; cum Adam generat non ad  
Dei sed ad suam imaginem; quid mihi facias si ita arguam. Ad  
quod nos genuit Adam generando ad imaginem suam, id non  
est imago Dei. Opponuntur enim Imago Dei & Adami. Et,